



~~17~~
EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

V-1

SIGNAT. MDCCCXXIII

PRAEMATVRVM OBITVM
V I R I

SVMME REVERENDI ATQVE MAGNIFICI,
D O M I N I

IO. GEORGII
NEVMANNI,

DOCT. ET PROF. THEOL. DE RE SA-
CRA IMMORTALITER MERITI, TEMPLI
AD ARCEM PRAEPOSITI, SENATVS EC-
CLESIAST. ASSESSORIS, ACADEMIAE
BIBLIOTHECARIJ, ET H. T. ORDINIS
SVI DECANI,

D. V. SEPTEMBRIS A. ∞ 155 IX. PIE DEFVNCTI,
ET D. VIII. TEMPLO ARCI CONTIGVO ILLATI,
IPSO SOLENNIVM EXEQVIARVM DIE, EIVSD.

MENSIS XV. ACERBE DEFLET IVXTA AC
SVPREMO PIETATIS OFFICIO PRO-
SEQVITVR

M. IO. GVIL. IANVS,

ORD. PHIL. ADI. ET S. THEOL. CAND.

VITEMBERGAE SAXONVM, PRELO MEYERIANO.





Riffissimi officii, quo grauius atque luctuosius nullum
per omne uitae tempus sustinui, necessitas mihi im-
ponitur: officii supremi, inquam, illi ante diem praet-
tandi, quem publicae utilitatis causa non minus uita,
quam fama immortalem esse, boni omnes cupiebant
et precabantur. Quamuis enim dolor ex obitu desi-
deratissimi uiri susceptus, communis sit, et ad cunctos
pertineat, me tamen praeter ceteros tangit, qui apud eum filii locum te-
nebam, paternumque illius in me animum non magis propinquitate lan-
guinis, quam beneficiorum magnitudine metiebar. Itaque deliberanti,
quonam potissimum orationis genere ultimam defuncto pietatem testa-
rer, in mentem uenit recordari, qua ratione ipse olim patri suo, aucto meo
materno, uiro, doctrina, integritate et sanctimonia, sacerdotali munere di-
gna, in primis conspicuo iusta perfolerit. Exemplo nimirum *Gregorii
Nazianzeni*, cuius extat oratio funebris in laudem patris sui, interio-
rem uitae eius consuetudinem nudo et simplici sermone recensēbat, id-
que cum ad beati laudem, tum ad superstitium recordationem et con-
solationem efficacissimum iudicabat. Quod si ab utroque exemplum
mihi capere liceat, non melius IOANNIS GEORGII NEUMANNI ui-
tam describere posse uideor, quam si Gregorium, cuius in *legendo* patre
pietatem sibi imitandam proposuit, omnibus etiam reliquis partibus ab
eo repraesentatum ac redditum aetati nostrae fuisse, affirmem. Hunc
Theologi cognomine dignoscebat antiquitas, et hoc, teste Philotheo,
ὡς πρὸς τὸ ἰδὸν ei tribuebat. Noster nemo erat incorruptus rerum
existimator, quin animo conciperet, cum principes aetatis nostrae Theo-
logorum nominari audiret. Siue enim ex rerum diuinarum humanarum-
que cognitione, siue ex ingenii acumine, siue iudicii pondere, siue pru-
dentia et moderatione agendi, siue denique ex parte his praesidiis fama
et existimatione magnos Theologos diiudicare uelis, dubius haerēs, cui-
nam et his omnibus palmam in Neumanno concedas. Gregorius tan-
tam *ὀρθόδοξίας* opinionem apud omnes consecutus fuerat, ut, teste
Ruffino, ne dissidentes quidem, quod fieri solet, partes et studia de fide e-
ius disputare poterint, sed id obtinuerat apud Dominum et Ecclesias
Dei meriti, ut quicumque ausus fuerit doctrinae eius in aliquo refragari,
ex hoc ipso, quia ipse sit magis haereticus, argueretur. Haec dum Ruffini
uerbis commemoro, mutata tantum persona, Georgii nostri laudes mihi
praedicare uideor. Quis enim unquam inter tot aduersarios, erroris
eum conuicit? quis doctrinam eius appugnare adortus est, quin ma-
lae causae iudicium prodiderit, et perniciosae nouitatis suspicionem a-
pud uniuersam puriorem Ecclesiam incurreret? Hinc non tantum me-
liorum partium Theologi in consensu eius plurimum ponebant, sed ipsi
etiam, quod mireris, aduersarii et diuersarum partium loci uariis artibus,
essi frustra semper adhibitis, eum sibi adiungere studebant. Tum scilicet
demum se speciem aliquam conatibus suis conciliaturos, putabant,
si aut de approbatione eius gloriari, aut ab oppugnatione saltem tuti esse
posset. Inter summa ac praecipua Nazianzeni decora merito refer-
tur cura, qua pro doctrina puriori excubauit, et Arianorum machinatio-
nes fraudesque compressit. Nam A. 378. decreto concilii Antiocheni ad
causam Catholicorum asserendam Constantinopolin missus, rem eo per-
duxit, ut non modo horum numerus indies aueretur, sed et Arianorum,

qui antea rerum potiri uidebantur, impietas prorsus exterminaretur. Cuius rei memoriam conseruauit noua aedes Anastasiae nomine extructa, publicum scilicet restituit et quasi a mortuis resuscitati sincerioris Deicultus monumentum. Non minori laude sera olim posteritas celebrabit trophaea, quae nos ter a ueritatis hostibus retulit, quibus, uiuo illo, et pro coetu Dei propugnante, nunquam potestas fuit ingrediendi fines nostros, et stabilem intra eos sedem constituendi. Neque ipse tantum, uelut in specula sedens, mala Ecclesiae imminetia propullare studuit, sed alios etiam partim exemplo excitauit, partim institutione praeparauit, et simili ad haec munia rite obeunda zelo atque ardore incendit. Tanta erat in Gregorio docendi dexteritas, ut Athenis discessurum studioforum iuuenum globi cingerent, et uel inuitum ad cathedram reuocarent. Nihil sanctissimi uiri gloriae detraham, si hac in parte eum a Georgio nostro non aequatum, sed superatum dixerō. Quis enim maiori unquam cum applausu docuit? quis maiori suauitate audientes retinuit ac deliuiuit? Plurimi ex remotissimis locis eius causa huc conueniebant, praesentibus non modo damno, sed dedecori etiam ducebatur, scholis adeo celebratis non interfuisse. Quo fiebat, ut auditorum multitudinem parietes non caperent, et confluentim agminibus fora et regiones urbis completerentur. Haud exigua gratiam et dignitatem Gregorii meritis adiungebat singularis eruditio et humaniorum praecipue literarum cognitio. Nam in oratione eius tanta copia et maiestas elucebat, ut, ipse Philostrati, iurati alioquin hostis, iudicio, duos illo tempore Sacrae eloquentiae principes, Apollinarium et Basilium, alterum ubertate, alterum grauitate dicendi superaret. In Poësi uero ita excellebat, ut ad ueterum gloriam perueniret, ipsamque Homericorum aliorumque profanorum carminum, quorum lectione Iulianus Imperator Christianos interdixerat, iacturam ingenii sui monumentis relaceret. Quotopere in utroque orationis genere, atque adeo in omni elegantiori literatura Neumannus elaborarit, neminem fugit, et ipsi aduersarii nel inuicti agnoscunt. Siue enim pro rostris uerba faceret, siue literis aliquid mandaret, tanta erat oris atque orationis commendatio, ut influere in audientium legentiumue animos uideretur, eosque singulari quadam suauitate afficeret ac retineret. Idque in ipsis sacri argumenti disputationibus, quae per se ab elegantia illa remotiores esse uidentur, seruabat, quia a seipso, quemadmodum saepe mihi in familiari sermone affirmauit, impetrare non poterat, ut accuratorem illam et emendatorem scribendi rationem, cui semel assuetus, negligeret, aut repudiaret. Quid nunc dicam de ligatae orationis facultate, quam in publico munere Academico olim professus est, et ita excoluit, ut dolere possent Musae manueiores, eum tam subito hac statione fuisse euocatum, nisi publica utilitas ad maiora et grauioris momenti negotia operam eius afflagitasset. Vestram ipsorum fidem testor, commilitones, qui, cum ante aliquot annos Serenissimi Principem Regium, Pro-Rectorem nostrum Magnificentissimum recens creatum, uerbis quibusdam cohonestare statimissetis, nemo autem uobis ad hos pro dignitate pangendos idoneus uideretur, Neumannum uestrum, iam pridem rude donatum, in ueterem arenam reuocastis, et renitentem precibus perpulistis, ut laborem a munere suo alieniorem sibi imponi pateretur. Confectum carmen non uos tantum, sed alii etiam admirati sunt, et iuxta cum reliquis ab eodem auctore perfectis inter Poëmata, quae Hofmanni inscribi solent, ediderunt. Magnum denique et nequaquam
ulti-

ultimo loco habendum est elogium, quod Ruffinus Nazianzeno tribuit, cum non magis doctrina, quam uita eminentem fuisse, maximum Ecclesiae lumen, qui, quod docebat, fecerit, et, quod faciebat, docerit. Idem ego cum omnibus, qui Neumannum propius norunt, uere de eo affirmare possum. Nam quanto odio illos, qui sub ficta et iactabunda sanctitatis specie nequitiam tegunt, persequebatur, tantopere uerae et non fucatae in Deum pietati studebat. Memini, cum de studiorum suorum ratione familiarius exponentem, hoc inde ex paterna disciplina seruatum in summis duxisse, quod a Deo omnia agendi primordia ceperit, et saepe ab hominum coetu remotus, et conclauis abditus, in gentia prociderit, ardentissimisque precibus auxilium diuinum imploravit. Huic praesidio soli acceptum referebat, quod, praeter spem et expectationem suam, a tenui initio ad summa peruenerit, multos, quos se meliores iudicavit, anteuertit, ac secunda in omnibus coeptis opratisque fortuna usus fuerit. Nec uero in aduersis animum illum mutabat, sed ad extremum usque uitae terminum semper eundem se demonstrabat. Paucis ante lethalem morbum diebus grauem luctum ipsi afferebat unicae filiolae obitus, quam tenerrimo amore complectebatur. Sed casus iste adeo non frangebat constantiam uiri, ut fiduciam potius erga Deum auerteret et comprobaret. Nam uerba quasi cum Deo fide colluctantis, a nonnimine forte interueniente exaudita sunt: Etiam si Dominus me occiderit, non discedam ab illo. Mox ipse corporis infirmitate correptus, quasi iam tum futurum exitum auguratus, mandatum illud Numinis ad se accommodabat: Dispone domum tuam, nam tibi moriendum est. Cum primum in lecto eum offenderem, re inexpectata percusso, iustum etiam in morte sua confidere, respondebat. Ab omni deinde humana ope destitutus, securus se in Deo acquiescere, non semel affirmabat, etque de causa lacrymas et singultus exoptatissimae coniugis aliorumque adstantium cohiebat. Denique, ne singula persequare, et multa paucis complectar, ita ex hac uita emigrabat, ut et morte sua superstitis erudiret. Hoc uno Gregorii nimirum eheu! dissimilis fuit, quod, cum hic sexagesimum quintum, aut, si Suidae fides est, nonagesimum aetatis annum supergressus sit, ille uix dimidium uitae ipsatum coniecerit, ac in ipso flore ereptus, non dicam amicis et propinquis, non huic ciuitati aut Academiae, sed uniuersae Ecclesiae Lutheranae acerbissimum sui desiderium relinquat. Lugere casum hunc aetas omnis et ordo, lugent pariter atque indigenae, ipsi summo loco nati proceres ac purpurati publica iactura commouentur, neque illi, qui alienioris animi indicia dederant, dolorem dissimulant, et, quid in Neumanno amissum fuerit, nunc carendum deum intelligere uidentur. Sed quando frustra TE, Diue, uotis suspiriisque reuocamus, qui Dei aspectu et beatissima coelorum societate recreatus ex omnibus huius uitae miseris triumphas, hoc saltem nobis liceat, ut gratam TIBI pro acceptis beneficiis mentem publice declarem. Nunquam gloria tua tot laboribus et uigiliis parta, tot monumentis omni aere perennioribus conservata intermoriatur. Nunquam animo meo exident, sed imis infixis medullis semper haerebunt diuina illa praecepta, instituta ac monita, quibus undecimum nunc annum me formasti. Nunquam sine ingrati crimine obliuisci poterit curae pro salute mea, quam neque moribundus deposuisti, nunquam propensissimae uoluntatis, qua imminens obitum tuum collachrymanti manum iam uacillanrem imponebas, et suprema nota impertiebaris. Pro tantis meritis cum nihil TIBI gratiae referre possim, ea certa sempiterna memoria colam, sanctissimamque ueneratione prosequar, desiderium TUI recogitanda, quam per mortem adeptus es, felicitate consolabor, et in exemplum tuum intuens, extremis etiam gemitibus precabor: moriatur anima mea morte hominis iusti!

✠ (o) ✠

Ung.

VI 1

= [Occasionalia Vol. 2.
= Fumeralia K.-R.]

X.285598A

W 117
W 118



PRAEMATVRVM OBITVM
 V I R I
 SVMMEREVERENDIATQVE MAGNIFICI,
 D O M I N I
 IO. GEORGII
 NEVMANNI,
 DOCT. ET PROF. THEOL. DE RE SA-
 CRA IMMORTALITER MERITI, TEMPLI
 ADARCEM PRAEPOSITI, SENATVS EC-
 CLESIAST. ASSESSORIS, ACADEMIAE
 BIBLIOTHECARI, ET H. T. ORDINIS
 SVI DECANI,
 D.V. SEPTEMBRIS A. ∞ 155 IX. PIE DEFVNCTI,
 ET D.VIII. TEMPLO ARCI CONTIGVO ILLATI,
 IPSO SOLENNIVM EXEQVIARVM DIE, EIVSD.
 MENSIS XV. ACERBE DEFLET IVXTA AC
 SVPREMO PIETATIS OFFICIO PRO-
 SEQVITVR
 M. IO. GVIL. IANVS,
 ORD. PHIL. ADI. ET S. THEOL. CAND.

